



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Magnum Matrimonij Sacramentum Casibus Practicis Expositum

Reutlinger, Ignaz

Augustæ Vindelicorum, 1716

VD18 10508716

Casus secundus. Impotentiaë Matrimonio supervenientis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40059



CASUS SECUNDUS

Impotentia Matrimonio supervientis.

Ebrulphus, & Arthemia conjuges à pluribus annis in summa pace, & concordia sibi convixerunt, cor unum, & anima una, atque ita felicissimi in suo conjugio, nisi hæc ipsa felicitas denique reddidisset infelices; namque hanc animarum conjunctionem cum invidis oculis aspicerent quidam malevoli, nec eam ferre diutius possent, ut turbas concitarent, & mutuum amorem everterent, magiæ operâ per maleficium reddunt Ebrulphum impotentem; ita enim & ipse, & uxor non vanè suspicantur; pergit nihilominus sic constitutus maritus à sua conjuge, ut prius, debitum petere, & ipsa bona fide petenti obsequitur, sed, irrito semper conatu, copulam consummare nequeunt. Tandem suboritur dubium mulieri timoratae, an hoc faciendo peccaverit? exponit igitur id in confessione, & an deinceps debeat, aut salvâ conscientia possit viro idipsum exigenti obedire, interrogat Confessarium, & ab hoc intelligit, toties se commississe peccatum mortale, quoties petenti conjugii reddidit debitum conjugale, cum impotentia viri hoc ipsi reddat illicitum.

Q. An bene judicaverit hic Confessarius?

SYNOPSIS

SYNOPSIS.

1. In certis circumstantijs potuit esse bona responsio hujus Confessarij.
2. Reijcitur opinio aliquorum, per impotentiam supervenientem dissolvi Matrimonium ratum, non consummatum.
3. Stabilitur vera Sententia, nullam impotentiam, sive temporalis sit, sive perpetua, quæ Matrimonio contracto supervenit, etiam duntaxat rato, illud dissolvere.
4. Sed impedit tamen usum conjugij quoad copulam conjugalem, postquam de ea certò constat, non verò alios actus conjugibus permisos.
5. Reijcitur circa hoc opinio quædam P. Thomæ Sanchez.
6. Quando non certò constat, impotentiam esse perpetuam, non prohibetur actus conjugij.
7. Ex hoc datur ultimata responsio ad quæstrum præsentis casus.
8. Impotentia inducta per maleficium per quæ media tolli possit, vel non possit?
9. An licitè tollatur maleficium destructione signi?
10. An idem peti possit à malefico?
11. Solvuntur objectiones num. 9. propositæ.
13. An tolli possit maleficium positione signi contrarij?

1. **B**enè, & malè po-
tuit respondisse
hic Confessarius,
Benè, si mulier
petenti marito
debitum conju-
gale reddidit in
actuali dubio pratico constituta,
an hoc agendo graviter peccet, sic
enim re ipsa peccavit, quia operari
cum dubio illicitum est, & pecca-
minosum ex communi omnium sen-
tentia, approbante S. Paulo Aposto-
lo Rom. 14. *quod non est ex fide, pec-
catum est*, id est, ut explicare so-
lent SS. PP. & interpretes S. Scrip-
tura, quod non fit juxta conscientiam,
seu cum determinato judicio intel-
lectus, licitum esse id, quod hic,
& nunc agitur, vel omittitur, pec-
catum est; patetque ulterius, quia
qui aliquid facit, vel omittit, pra-
ctice dubitans, an licitum sit hoc
agere, vel omittere in istis circum-
stantijs, is se exponit peccandi pe-
riculo, & consequenter peccat juxta
dictum Eccl. 2. *qui amat periculum, pe-
ribit in illo*: si ergo hoc fecit Arthe-
mia, stante ejusmodi dubio gravis
peccati, & ipsa merito se accusa-
vit in sacro tribunali, & ipsi Con-
fessarius bene respondit, quod ope-
rando cum tali dubio peccato lethali
se obstrinxerit. Idem dicendum,
si viri impotentia Matrimonium præ-
cessisset, atque de ea certò, & in-
dubitato constitisset, ut dictum est
in casu præcedente; at quia in facti

specie (nam loquimur de casu facto)
dicuntur cohabitasse jam pluribus
annis, & deprehensum esse Ebrul-
phum impotentem, cum debitum
conjugale peteret more aliàs consue-
to, complere autem non valeret,
clarum indicium est, hanc impo-
tentiam primò supervenisse, & qui-
dem à tempore non admodum diu-
turno: circa quod proinde an satis
peritè responderit Confessarius fæ-
minæ se consulenti, an tutà con-
scientiâ possit marito debitum perea-
ti obsequi, illudque reddere ob du-
biam illius impotentiam, ex ea quæ-
stione desumendum est, an impo-
tentia Matrimonio superveniens id
aliquando dissolvat, vel saltem il-
lius usum impediatur?

2. Quando Matrimonium con-
summatum est, nemo potest in du-
bium revocare, an per supervenien-
tem impotentiam dirimatur, certis-
simum quippe est Matrimonium fi-
delium, ut alibi fusiùs ostendi-
mus, solà morte naturali dissolvi,
postquam aliquando consummatum
fuit, ut patet ex verbis Christi
Matth. 19. *quos Deus conjunxit, homo
non separet*, & Divi Pauli I. ad Cor.
7. *His, qui Matrimonio conjuncti sunt,
præcipio non ego, sed Dominus, uxorem
à viro non discedere &c.* Nec potest
ipse Pontifex ex causa quantumvis
gravissima dispensare in Matrimonio
consummato; quod ab ipso fieri pos-
se, malè docuerunt aliqui Jurispe-
riti apud Covarruv. 4. *Decretal. p. 2.*

2. c. 7. §. 4. n. 22. solum igitur dubium moveri potest de impotentia, quæ supervenit Matrimonio duntaxat rato, & nondum consummato? De hoc censuerunt nonnulli, quos refert Sanch. l. 7. disp. 102. n. 2. tale Matrimonium dirimi per impotentiam supervenientem. Motivum illorum potissimum, ut alia taceam, desumitur ex ipso Jure, quod nempe Alexander III. in c. Ex literis, De Frig. & Malef. ineundi aliud Matrimonium potestatem fecerit cuidam viro, cujus uxor ante consummationem reddita fuit inepta ad copulam. Pari modo c. Quod proposuisti. 32. q. 7. Gregorius III. concessit alicui licentiam transeundi ad alias nuptias ob impotentiam perpetuam priori uxori supervenientem. Verum hi textus minimè istud persuadent, nam in c. Ex literis. sermo non est de impotentia, quæ supervenit, sed quæ præcessit Matrimonium, ut clarè patet ex illis verbis: *Si mulier vitium illud à natura contraxit*, quia v. g. arcta erat, ut notat Glossa V. *contraxit*. Barbosa in cit. c. n. 2. cum Gonzal. *ibid.* n. 2. & Sanch. l. c. n. 4. Alter canon æquè parum probat, quia ibi quoque sermo non est de impotentia superveniente, quasi licentiam dederit Pontifex transeundi ad alias nuptias, relicta uxore, eò quod ista post contractum Matrimonium infirmitate correpta viro debitum reddere non potuerit, sed sermo est de ea, quæ

ante Matrimonium per infirmitatem inepta erat, & inhabilis ad copulam conjugalem, quæ proinde legitima uxor non erat ob impedimentum perpetuum, idque citato loco Pontifex declaravit, ut docent Bellarm. l. 1. de Matr. c. 11. in fine. Sanch. l. 7. de Matr. disp. 80. n. 16. vers. *Ad quimum*. Azor. p. 2. Instit. Moral. l. 5. c. 4. q. 3. vers. *Octavo obijcitur*. Neque ex eo colligi potest, veram fuisse conjugem, verumque Matrimonium, quod Pontifex addiderit, virum hunc alteram ducere paratum tamen subsidij opem subtrahere non debere ab illa, quam infirmitas præcedit, non detestabilis culpa excludit, per hoc enim, ut Glossa exponit V. *Nubet*, aliud ipsi non injungitur, quàm ut eidem dotem restituat; vel si de alio subsidio accipitur, id non præceptum, sed consilium est. Denique si non arrideat hæc expositio, possumus dictum canonem explicare cum Barbosa n. 2. in cit. c. *Quod proposuisti*, & Engl. n. 9. *De Frig. & malef.* de femina nondum cognita, & de Matrimonio rato non consummato, qua in gravem morbum incidente, eumque perpetuum, volebat maritus ad secunda vota transire, idque ipsi concessum est à Gregorio; nam posse ex dispensatione Papali Matrimonium ratum dissolvi ex iusta causa, qualis utique est impotentia superveniens, supra docuimus Sect. 1. §. 4. q. 3. n. 3. & seqq.

3. Unde dicendum tanquam verissimum

rissimum, & certum cum Sanch. *L. 7. disp. 102. n. 3.* Perez *disp. 37. Sect. 1. n. 3.* Palao *disp. 4. de Matr. p. 14. §. 2. n. 10.* Dicastillo *disp. 7. de Matr. dub. 45. n. 465.* Tannero *tom. 4. disp. 8. q. 4. dub. 8. n. 153.* Gonzal. *in c. Laudabilem De Frig. & Males. n. 8.* Pirhing, Wiestner, Engl & c. Matrimonium, sive consummatum aliquando fuerit, sive tantummodo ratum sit, per supervenientem quamcunque impotentiam, sive temporaneam, sive perpetuam, undecunque ea orta sit, nequaquam dirimi. Ratio est, quia Matrimonium semel validum semper est validum, & potestas semel data, superveniente impedimento usus, non irritatur: atqui in Matrimonio rato potestas data est: non igitur irritatur, etiam si usus impediatur; idque clarissime decisum habetur in Jure, nam *c. Hi qui. 32. q. 7.* à Ni olao Papa generaliter definitur, per nullam supervenientem infirmitatem, defectum, aut impotentiam Matrimonium dissolvi, & *c. Si uxorem 32. q. 5.* affirmat Augustinus, retinendam esse uxorem antea ductam, non obstante quocunque corporis impedimento superveniente. Præterea in Ecclesia ab omnibus receptum est, Matrimonium ratum quoad vinculum non dissolvi, nisi professione Religiosa, vel Apostolica dispensatione, ad quam impertiendam, ut *num. preced.* insinuavimus, ejusmodi impotentiam supervenientem justissimam cau-

sam esse, si multum timeatur de continentia alterius conjugis potentis, clarissimis verbis docent Sanch, *l. c. ad finem,* & Engl *n. 9. De Frig. & Males.*

4. Quamvis autem impotentia Matrimonio superveniens, hoc nulla ratione dissolvat, tamen, si certò constet, eam esse perpetuam, usum illius, seu copulam conjugalem, ejusve attentationem ejusmodi conjugibus reddit illicitam; non verò ipsis prohibentur alij actus, qui alijs conjugibus permittuntur, videlicet oscula, tactus, amplexus, cum veri conjuges sint, ad concupiscentiam carnis sedandam, & mutuum amorem fovendum, hi actus ipsis non prohibentur: addit tamen Sanch. *L. 9. disp. 17. n. 21. & disp. 45. n. 4. disp. 44. n. 8. ac 10.* & Tannerus *l. c.* dummodo absit pollutionis periculum. Imò plus dicit Sanch. *cit. disp. 45. n. 4.* cum alijs, quos citat: si ex simili alijs sibi licita actione, qualis est ejusmodi tactus ex bono fine coonestatus, etiam provideatur securura pollutio, nullam esse culpam ab illa causa non desistere. Ratio, eaque fundamentalis est, quia universaliter nemo tenetur abstinere ab actu alijs sibi licito, etsi prævideat, secururam ex eo pollutionem, modò hanc non intendat, nec sit periculum in illam contentiendi, quia jus suum prosequenti non imputatur effectus per accidens, & præter intentionem subsecutus,

secutus; nec est arcendus quispiam ob pollutionem non intentam, ne pleraque actiones sibi, vel proximo convenientes, ad quas jus habet, exerceat; alias multae actiones necessariae essent omittendae, & innumeri laquei injicerentur. Addit praeterea Anacletus Reiffenstuel *n. 65. De Frig. & Malef.* etiam quando ejusmodi tactus, oscula &c. à conjugibus exercentur ex mera voluptate, non esse graviter peccaminosos, etiam cum periculo pollutionis, dummodo haec non intendatur, nec sit periculum consensûs in illam: idemque tradit etiam Sanchez *cit. disp. 44. n. 12.* quia voluptas illa Venerea non quaritur extra Matrimonium, sed in actu suapte naturâ ordinato ad actum Matrimonij; quare sicuti Matrimonium excusat actum copulae inter conjuges à culpa lethali, ita similiter excusabit tactus illos, & sola manebit culpa venialis indebiti finis. ita isti. Sed tutius est sequi contrarium, quia in re tam lubrica, ubi alius finis honestus non adest, sed unice intenditur delectatio, fieri vix potest etiam in conjugibus, ut se periculo consensûs quoque non exponant, vel alias prolabendi graviter in varias culpas, excedendo modum debitum. Vide, quae dicuntur *p. 1. Sect. 3. q. 3. n. 2. & p. 3. Sect. 1. q. 4. cas. 4. n. 12.*

5. In hoc verò assentiri non possum, quod docet *cit. Sanch. L. 7.*

disp. 102. n. 5. & 7. & L. 9. disp. 17. n. 20. & cum eo Palao l. 6. n. 11. ac Perez, citantes per se Cardinalem Toletum, si impotentia superveniens sit impotentia coeundi, & seminandi intra vas ob imbecillitatem viri, vel faminae arctitudinem supervenientem, permitti quidem istis conjugibus tactus, oscula, & similia; non tamen copulam conjugalem: at verò si solum sit impotentia ad verum semen emittendum, ut si post initum Matrimonium vir utroque testiculo orbatu est, ita ut coire quidem valeat, sed non emittere verum semen, in eo eventum posse nihilominus licite petere, & reddere debitum, quia utitur suo jure, vacans actui conjugali, quem Matrimonium permittit: per accidens autem est, quod non emittat verum semen, quod aptum sit ad generationem, sicut per accidens est in illis, in quibus semen corruptum est, vel sterile, quibus propterea in Matrimonio copula conjugalis non prohibetur; huic inquam, opinioni assentiri non possum cum Dicastillo *disp. 7. de Matrim. dub. 46. n. 481.* & *disp. 9. de Penit. n. 374.* nam certa & indubitata Sententia est, ut casu precedente ostendimus, eunuchos, & spadones Matrimonio jungi non posse, ipseque Sanchez *L. 7. disp. 5. n. 14.* docet, accessum eunuchi ad non uxorem, seu copulam, quam habet cum femina extra Matrimonium, esse peccatum contra naturam,

rim, atque ideo hanc circumstantiam in confessione specialiter explicandam: si autem accessus eunuchi ad feminam est contra naturam extra Matrimonium, tunc certe non minus erit contra naturam copula, quæ cum uxore habetur ab eunuchis intra Matrimonium, nam esse copulam contra naturam, non provenit ex defectu Matrimonij, sed ex eo, quod non sit quoad substantiam copula naturalis, cum non emittat verum semen: nequit igitur dici, talem eunuchum uti jure suo, dum vacat actui conjugali, cum nequeat habere jus ex vi Matrimonij ad actum contra naturam: nec potest institui paritas cum illis, qui semen habent corruptum, vel sterile, uti frequenter contingit in senibus, nam istud verum semen est, esto, per accidens morbosum sit, & infœcundum: at verò eunuchi verum semen non habent; & licet sit per accidens, eos eunuchos factos esse, ipsorum tamen semen non merè per accidens, sed ex essentia sua prolificum non est, quia verum semen non est, sed aqueus quidam humor, essentialiter, & in substantia diversus, & qui ejusdem rationis prorsus non est cum vero semine; atque ideo permitti ijs non potest copula, quia natura repugnat, cum vinculum Matrimonij neutiquam efficiat, ut actus, qui alioquin est contra naturam, desinat esse contra naturam.

6. Dixi superius num. 4, quantumvis impotentia superveniens non dirimat Matrimonium, illicitum tamen reddere usum conjugalem, si certò constet, eam esse perpetuam, quia si dubium est de impotentia superveniente, an sit perpetua, an verò solum temporalis, licitum est conjugibus conari ad copulam, quamdiu probabilis spes est seminandi intra vas, quamvis per accidens, & præter intentionem extra vas semen effundatur. Ratio est, quia conjugum illi operam dat rei licitæ, procurans copulam sibi possibilem, ac permissam, & præter intentionem sequitur externa illa effusio. 2. c. *Laudabilem. De Frig. & Males.* conceditur triennis experientia conjugibus dubitantibus, num impotentia perpetua sit, ac subiude, an Matrimonium valuerit; & tamen illo spatio constat, aut semper, aut sæpè fore, ut semen extra vas decidat, & nihilominus, stante tali periculo, licitum est conari ad copulam, jureque approbatur, quia eo manente dubio conjuges habent jus in Matrimonio perseverandi, idque impedimentum investigandi, quod fieri sufficienter nequit, nisi operi conjugali vacando: à fortiori igitur in nostro casu id licebit, ubi valor Matrimonij certus est, ac proinde certius, ac fortius jus conjuges habent conjugali copulæ vacandi, experientiaque, num impotentia illa seminandi intra vas perpetua sit. Sanch.

L. 9. disp. 17. n. 22. Perez l. c. n. 7. Palao l. c. Pirhing §. 4. n. 22. De Frigid. & Malef. Tannerus tom. 4. disp. 8. q. 4. dub. 8. n. 153. ubi dicit, ejusmodi conjugibus non solum ad triennium, sed tamdiu licere, ut contentur ad copulam, quamdiu probabilis spes est seminandi intra vas, atque in hoc differre impotentiam supervenientem ab ea, quæ conjugium præcessit, quod pro hac exploranda concedatur triennij spatium, illic autem nullum certum tempus definiatur, quamdiu de absoluta, & perpetua impotentia non constat, & Sanch. l. c. ex Cajetano refert, accidisse cuidam, ut per multos annos intra vas effundere semen minime potuerit, at sex annis transfactis id potuisset, qui interim, ait, conando minime deliquit.

7. Quod si igitur impotentia superveniens Ebrulphi, quæ ex specie facti desumitur ante modicum tempus evenisse, cum conqueratur uxor, non posse eum, ut antehac solebat, actum conjugij exercere, si, inquam, ista impotentia non erat indubitato perpetua, quæ nullam spem amplius admitteret, fore, ut copulam complere possit, tunc sane nimis præproperè, & præcipitato judicio judicavit hic Confessarius. Arthemiam viro petenti debitum reddere deinceps non posse, & toties peccasse mortaliter, quoties eundem admittant, quod negavit hic Confessarius.

Rrrr

farius. Accedit, quod hi conjuges ponderantia motiva habeant, virum per maleficium redditum esse impotentem; de impotentia verò, etiam antecedente, docet Joan. Clericus Præpos. Patavinus, & Vic. General. De Sacramento Matr. Decis. 32. n. 34. quando per maleficium inducta est, & ad forum Ecclesiasticum deducta, pro declarando Matrimonio nullo, inter maleficiatum, & alterum conjugem inito, semper assignandum esse terminum triennij, in quo conjuges simul cohabitent, & condormiant, atque interim tum opportunis medicamentis, tum pijs exercitijs, ac exorcismis utantur, transacto autem isto triennio, & maleficio non soluto, illud reputari perpetuum: addit præterea ex Sperello, hanc triennem cohabitationem esse indispensabilem: hæc quidem dicuntur, dum agitur de Matrimonij valore ob impotentiam: id ipsum igitur denegandum non est, nec velut illicitum reprehendi debet, ubi de valore Matrimonij constat, & solum dubitatur, an in perpetuum potentia adempta sit, & potius contrarium speratur, cum dubitari vix possit, hoc ipso, quod suspicionem habuerint dicti conjuges, adesse maleficium, ipsos ad hoc depellendum preces, & alia media spiritualia adhibuisse: melius proinde factum fuisset, si consulenti se triennem saltem experientiam concessam esse respondisset.

8. Cum

8. Cùm in præfenti casu credatur, per maleficium inductam esse impotentiam, operæ pretium est, ut ex ista occasione examinemus dubium, quod, quia sæpius solet evenire, sua utilitate in praxi non caret. Constat, ejusmodi impotentias ex pacto vel tacito, vel etiam expresso cum dæmone à maleficis procurari positione alicujus signi, v. g. vel sub limine domus, aut cubiculi, vel alio quodam loco, aut in ipso thalamo conjugali defodiunt, vel abscondunt glomum capillorum, calvariam, seram clausam, & obturaram, certas aliquas ligaturas, aut nodos funiculorum, vel infigunt jarræ cubilis, in quo conjuges dormiunt, clavos, vel acus certo situ, numero &c. ex pactione, ut, quamdiu hoc signum non destruitur, vel amovetur, conjuges coire nequeant; quod fieri potest vel cum uno simplici pacto, ut dæmon, posito tali signo, inducat impotentiam, eamque tamdiu conservet, quamdiu signum hoc durabit, non verò peritur ab eo, neque is obligatur, ut signo hoc amoto, vel destructo, ablatam, vel impeditam potentiam ipse restituat, aut à nocendo cesset, sed liberum ipsi est continuare nocementum, vel ab eo desistere; vel fit cum pacto duplici, ut non solum posito, & durante signo, malum inducat, & conservet, sed insuper, ut eo ablato, vel destructo, desistat à nocendo, & potentiam (vel si hæc signa posita sunt, ut noceretur in alio

genere, v. g. in sanitate) ut sanitatem restituat, aut procurare teneatur.

Quæstio nunc est, quomodo tolli possint, vel impediri hæc, & similia maleficia ex pacto diabolico orta? Respondeo. Certum est quoad ista, utilissimè adhiberi adversus similia mala remedia spiritualia, tam universalialia, quæ serviunt pro quovis beneficio consequendo, damnoque vitando, qualia sunt fervens oratio cum spe, & fiducia in Deum, invocatio SS. Trinitatis, nominis JESU, & MARIE, exercitium bonorum operum, præsertim misericordiæ, largitio elemosinæ, jejunium, usus Sacramentorum Confessionis, & Eucharistiæ, quia Deus non raro similes incurfus dæmonis propter peccata hominum permittit in pœnam, gestatio, & veneratio SS. reliquiarum: vel possunt adhiberi media, quæ ab Ecclesia ad hunc effectum specialiter ordinantur, ut sunt consueti exorcismi Ecclesiæ, quibus dæmones adjurat, & à nocendo detinet, aqua benedicta, sal, & panis benedictus &c. ejusmodi media talibus consuluntur c. fin. 33. q. 1. his verbis: *Si per sortiarias, atque maleficas occulto, sed nunquam injusto, Dei judicio permittente, & diabolo præparante, concubitus non sequitur, horrandi sunt, quibus ista eveniunt, ut corde contrito, & spiritu humiliato Deo, & Sacerdoti de omnibus peccatis suis puram confessionem faciant, & profusis lacrimis, & largioribus elemosynis, atque jeunijs, & orationibus*

tionibus Domino satisfaciant, & per exorcismos, & cetera Ecclesiastica medicine munia Ministri Ecclesie tales, quantum Dominus annuerit, sanare procurent. Certum verò hoc quoque est, impotentiam, aliudvè malum ex maleficio ortum tolli non posse alio maleficio æquali, vel potentiore, quamvis ad id parata opera à maleficio offeratur. Ratio est, quia illa malefici operatio est intrinsecè mala, cum sit usus artis magicæ, estque vel expressa, vel tacita invocatio dæmonis in auxilium ad recuperandam potentiam, aliumvè effectum obtinendum, quod nullo casu licitum esse potest, cum mala faciendæ non sint, ut eveniant bona, ut ait S. Paulus Rom. 3. v. 8.

9. De hoc verò controversia est, an saltem liceat sine novo pacto, vel maleficio removere duntaxat, aut destruere signa, vel ab ipso maleficio petere, ut ea destruat, vel removeat, quibus positus, ac durantibus, ex pacto dæmon tenetur inducere, & conservare impotentiam, vel aliud nocumentum? Ut prius agamus de remotione signi, quam aliquis per se ipsum facit, deinceps verò dicamus, an petere hoc ipsum liceat à maleficio, negarunt apud Io. Præpositum in 3. p. 8. Tb 9. 7. de imped. dirim. dub. 22. n. 185. Ioannes Hessels, aliàs à Lovanio, & Estius, ullo modo licitum esse, signum malefici tollere, ut pactum diabolicum destruat, & sic ablata

potentia, vel sanitas recuperetur. Eorum potissima fundamenta sunt hæc; quia qui signum tollit, ut cesset noxa, ille se miscet pacto, quod malefico cum dæmone intercessit, quod est tale, ut signo posito dæmon nocere incipiat, ablato desinat: ergo id est illicitum. 2. Qui signum tollit spe nocumenti cessaturi, effectum hunc non expectat à causâ naturali, neque ab humana voluntate, neque per miraculum à voluntate Dei: ergo expectat istud à diabolo, estque opus superstitiosum, quippe perinde est; ac si dæmoni dicat: pactuses, amoto signo te cessaturum; ecce amoveo signum, præsta tu modò, quod promisisti.

Sed dicendum, tutâ conscientiâ, & sine ullo scrupulo de committendo peccato posse affectum maleficio, & alium quemcunq; tollere, aut destruere, ubi inventa fuerint; eiusmodi signa, ut pactum cum dæmone dissolvatur de nocumento inferendo, & hac ratione malum cesset, non tamen id fieri potest hac intentione, ut pactum ipse servet, quo se obstrinxit, quod nolit perseverare in nocendo. Ita Sanch. l. 7. disp. 96. n. 3. Palao disp. 1. de superstit. pu. 11. n. 8. Perez disp. 37. de Matr. Sect. 8. n. 8. Laym. l. 4. tract. 10 c. 4. n. 9. Less. l. 2 de I. & I. c. 44. dub. 6. Præpos. & c. Prima pars probatur; quia si esset illicita ista remotio, id totum proveniret ex eo, quod iste actus amotionis, vel destructionis censeretur esse

R r r r 2

tacita

tacita quædam dæmonis invocatio, nam alia causa, cur illicita sit, non apparet; hæc verò prorsus vera non est, quia hæc actio nec ex natura sua est invocatio dæmonis, ut per se patet, nec ex intentione amoventis, nam hic non vult invocare dæmonem, neque hoc facit ex pacto aliquo antecedente, ut ad amotionem signi nocere desinat, sed vult præcisè invocationem per magum hoc signo factam destruere, sicuti si quis, sciens, pactum esse quempiam cum hoste de urbe denda per prodicionem, dummodo appropinquet ad certum signum publicè expositum, signum hoc removeret, ne proditio effectum sortiatur, is sanè nullo modo dici posset cum hoste colludere, nec facit aliquid illicitum: ergo nec ille, qui removet signum magicum, ne dæmon ulterius noceat.

Probatur nunc etiam altera pars, quòd nempe non possimus amovere signa ex intentione, ut his destructis dæmon pacto suo stet, & porrò non noceat, quia si hæc amotio fieret ex ista intentione, ut dæmon quoque nunc promissa servet de non inferendo deinceps nocumento, vel non conservandâ ulterius impotentia post signi destructionem, hoc modo destruens tale signum, se jam aliquatenus dæmoni submitteret, eumque invocaret, & quasi ratum haberet, & approbaret prius pactum, quod est illicitum. At, abstinendo

ab hoc, expectare præcisè effectum dæmonis privativum, sine hoc, quòd alliciatur, ut pacto stet de non inferendo ulterius nocumento, nequam est prohibitum, sicut illicitum non est expectare dæmonis fugam ab energumeno, vel cessationem tentationis.

10. Idem planè dicendum est, si petatur ab ipso malefico, ut signa magica destruat, ut sic maleficium cesset, nam licitè ab ipso peto, ut maleficium hac ratione dissolvat, pactumque initum rescindat, idque is licitè facit, atque etiam facere tenetur, sed sine novo pacto, auferendo præcisè, ut diximus, signum, per quod velit tollere omnis diabolici pacti vinculum; potestque ad hoc, si innotescat in foro vel interno, vel externo, ab utroque iudice compelli. Imò quantumvis ego suspicer ipsum ad dissolvendum maleficium vel hoc, vel alio licito modo non usurum, sed alio illicito, dummodo mihi certò constet, vel destructione signi, vel alio licito quodam medio, & sine pacto posse ipsum tollere maleficium, licitè, suspicione hac non obstante, quòd modo illicito facturus sit, me tunc ab ipso petere posse solutionem maleficij, docent Gonzalez in *c. Laudabilem. n. 12. De Frig. & malef. Sanch. l. 7. disp. 95. n. 12. Less. l. c. n. 46. & Laym. l. c.* Ratio est, quia licitè possum petere ab usurario mutuum, licet certum sit, eundem sub usuris mutuaturum, quia

quia hoc adscribendum est illius malitiæ, nam posset hoc facere sine usura modo licito: ergo à pari quando maleficus licitè posset dissolvere maleficium, si medio utatur peccaminoso, id ejus malitiæ imputandum est, non meæ petitioni, cum petam id, quod licito modo facere potest; rectè tamen addit Laymannus, peti hoc posse, si spes sit, magum obtemperaturum esse, facta expressa petitione, aut conventionem, ut modo licito, & non illicito utatur, & quemlibet ex lege charitatis obligari, ut magum ad hoc hortetur, cum hac ratione grave peccatum proximi facili negotio impediri possit, cum qua spe utique stare potest suspicio, ac formido, ne homo malitiosus agat contrarium. Similiter monet Gonzalez *ad finem cit. num.* diligenter observanda esse media, quibus maleficus utitur ad solutionem maleficij, ut si voce utatur, seu verbis occultis, rebus vanis, aut superstitiosis, quæ ex se vim naturalem non habent tollendi maleficium; vel si rebus quidem naturalibus utatur, adjungat tamen alia vana, & superstitiosa, nam in his casibus pactum dæmonis adesse creditur, atque ideo hæc remedia illicita sunt. Pari modo si dubites, an magus dissolvere possit maleficium sine novo maleficio, quia id, de quo dubium est, an sine peccato fieri possit, sicut absolutè non est

faciendum, ita nec absolutè ab alio petendum est, ut faciat: huc ergo servit, ut magus priùs interrogetur, quæ media tollendi habeat, & reje-ctis illicitis, licita eligantur.

II. Argumenta in contrarium adducta n. 9. facile solvuntur, nam ad I. negatur, eum, qui signum tollit, immiscere se pacto, quod intercessit inter magum, & dæmonem, quia amotione signi non intendit inducere dæmonem ad pactum servandum, sed solùm intendit destruere signum prioris pacti, quo dæmon ad nocendum alliciebatur, unde amotio signorum facta eo fine, ut cesset dæmonis noxa, non est invocatio dæmonis, sed solùm est ever-
sio pacti.

Ad secundum pariter nego, quòd destruens signa expectet aliquam positivam actionem à dæmone, sed solùm expectat cessationem actionis, ne amplius noceat, quod licitè expectari potest, nam multa quotidie facimus, ne diabolus nobis nocere valeat, cessetvé aliquid facere, vel quia ad hoc cogitur virtute Divina, vel quia id, quod agimus, ipse abhorret, & per id offenditur: ita gestamus Agnos Dei, sacras reliquias, utimur æquâ benedictâ, benedicimus domos, thalamos &c. possumus ergo similiter destruere signa magica, ut desinat nocere, tanquam non amplius ad nocendum allectus, atque ita expectamus effectum pri-
vativum;

vativum, non verò expectamus, ut non noceat ex fide data, & ratione alicujus pacti specialis, dum eum magus voluit dupliciter sibi esse obligatum, videlicet ut ad positionem talis signi noceret, & tum ut ablato hoc signo ex nova obligatione non amplius noceret, ad hoc secundum pactum, & dæmonis promissionem destruens signum ordinariè non attendit, sed sperat, signo destructo, cessaturum esse malum: adeoque qui hanc cessationem expectat, non perinde facit, ac si dicat: præsta, quod promisti, sed potius quasi diceret: pactum tuum, quod fecisti cum mago, rescindo, & signa posita, quæ ad nocendum instituiti, destruo, proinde spero, cessaturum esse malum, quod hætenus perpeffus sum.

12. Quæres, an sicuti licitum est, maleficium tollere, signa magica evertendo, vel destruendo, ita id ipsum liceat ponendo sive per se, sive per ipsum maleficum aliud signum positivum contrarium, ut maleficium cesset?

Resp. Si tale signum in se bonum sit, vel saltem indifferens, non est illicitum, illud apponere ex eo fine, ut signa priora magica vim suam amittant, pactumque, quod cum diabolo maleficus contraxit, dissolvatur, ipseque dæmon absque nova aliqua operatione à nocendo desistat. ita Lessl. l. c. n. 49. Palao l. c. n. 10.

Tannerus tom. 4. disp. 8. q. 4. dub. 3. à n. 143. Sporer tom. 1. in Decal. tr. 2. in 1. præcept. c. 9. Sect. 4. §. 3. n. 41. Contingit nempe frequenter, ut dæmon cum mago, aut venefica paciscatur: inficiam, quem incantaveris, tetigeris, percufferis &c. nisi ille mox se cruce signet, aquâ lavet, te repercutiat; in tali casu licitum est, non solum se cruce signare, sed etiam aquâ ablunere, & sagam repercutere, ut pactum diabolicum dissolvatur, & maleficium avertatur. Admittit quoque Tannerus, ut malfa panis inversa imponatur dolio, vel alijs rebus, quas à maleficio velis esse immunes; potestque huc poni, quod durante hoc bello, quod etiamnum Germaniam nostram flagellat, plures experti sunt, qui, ut pecunias suas, ac meliorem supellectilem ab hostium deprædatione conservarent, in agros, hortosve frustra defoderunt, prædabundo milite latentes thesauros ubique per specula magica explorante, ac detegente, ijs duntaxat exceptis, quibus supernè speculum impositum erat, vitro ad res defossas spectante: solet nimirum dæmon inire pactum conditionatum, se hoc, vel illud effecturum, patefacturum, aut nociturum ad usum, vel positionem certorum signorum, quamdiu contraria signa hæc, vel illa non fuerint adhibita, quæ si mala non sint, sed vel bona, ut est signare se cruce, vel

vel saltem indifferentia, ut repercure sagam, imponere speculum &c. licitè ponuntur, quia licitum est aliquid facere, quo posito finitur pravum pactum, & diabolus desinit nocere; hoc enim non est signum pacti novi, sed everfio, vel impedimentum antiqui: nec refert, utrum hoc proveniat ex eo, quòd diabolus tali signo offendatur, aut quòd ipsemet statuerit, ut, tali re interveniente, pactum non constet. Alia verò sunt signa, & actiones, quas adhibere minimè licitum est, v. g. invertere scopas in eo loco, in quo aliqua de magia suspecta adesse putatur, ajunt enim, eam loco exire non posse, veneficam de noctu veneficium machinantem jubere, ut sequenti manè pro aqua, pane, aut sale asportando se sistat, nam ista non sunt media indifferentia, sed verè superstitiosa, & quæ vim suam

habent ex pacto saltem tacito cum dæmone, cujus auxilium, & operatio hoc superstitioso signo evocatur, neque enim ponuntur, aut fiunt ista, ut maleficium amoveatur, sed ut maleficus, aut saga in aliquo loco sistatur, ne exire possit, vel ut post eam compellationem se debeat præsentem sistere, quod nequit aliter effici, quàm mediante positiva ope, & actione dæmonis, quia per se constat, ejusmodi frivolo signo nec Deum, nec Angelum bonum flecti, aut demereri posse, ut per se ipsos opem ferant, & expetitum effectum præstent: perinde igitur est, ac si quis dicat: volo, ut hoc signo evocatus, seu permotus dæmon, maleficam in hoc loco immobilem detineat, aut præsentem sistat, quod velle, ac intendere nunquam licitum est.



APPEN.